Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8145
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

trina christi, quia sunt christi, quia sunt dei, immo et deus. Vestri autem erroris
fundamentum doctrina manichei, qui non sunt dei sed diaboli, non christi
sed antichristi. Et ex hoc scire potest quisque sentiatur obediendum esse
nostre catholice fidei potius quam vestre abscondite infidelitati,
que cum suo fundamento a cunctis qui amant veritatem maledicatur
et sub eterna clausura dampnetur. De eo quod scriptum est: Fides
Fortassis sine operibus mortua est, quomodo intelligendum sit.
O sancti cathari, qui peccare non potestis, improperatis nobis peccata
nostra et dicitis: Sic legimus: Fides sine operibus mortua est. Vos autem
opera ad fidem pertinentia non habetis, et idcirco fides vestra mor-
tua est. Et quoniam fides vestra mortua est, nulla est, et idcirco sacra-
menta vestra nullum effectum habent, et non potestis baptizare et corpus
domini consecrare nec aliquid huiusmodi in ecclesia facere, quod vobis aut
aliis prosit. Hec est obiectio vestra adversum nos. Legite primum et interro-
gantes discite, quare deus interfecit Ozam, qui extendit manum
suam ut sustentaret archam dei, que nutabat ita ut casura
putaretur, in tempore illo quo eam reducere volebat David de Bethsa-
mis in Ierusalem. Et cum hoc didiceritis, instruite reprehensiones
vestras adversus ecclesiam dei. Non oportebat nos respondere vobis
adversus ea que nobis obicitis de fide nostra, quoniam extra fidem catho-
licam estis. Sic deo volente comprobabimus. Non oportebat nos
vobis respondere de operibus nostris mala que obicitis nobis, quoniam
peiora et sceleratiora sunt vestra opera. Sed alius erit locus dicendi de
eis. Respondebimus tamen hoc loco, ne propter ignorantiam dimittere
videamur. Fatemur quidem quod peccatores sumus, quoniam ut ait Iacobus
apostolus: In multis delinquimus omnes. Veruntamen est differentia inter de-
linquentes. Multi quidem in minoribus peccatis venialiter cottidie
delinquunt et cottidiana satisfactione deum placant et a